

A. Ω.  
PARENTALIA  
Viri

SUMME-REVERENDI, MAGNIFICI, AMPLISSIMI ATQUE  
EXCELLENTISSIMI,  
DNI.

**J**OHANNIS **O**LEARII,  
Doctoris Theologi,

Serenissimi Ducis Saxoniae Consilarii Ecclesiastici, Con-  
fessionarii, & Concionatoris aulici primarii, Ec-  
clesiarum Superattendentis Generalis, nec non  
Gymnasii Augusti Alumnorumque  
Inspectoris,

*de singulis officiis totaque Christi Ecclesia meritissimi,  
ante hoc obituum, cum luctu omnium nostrum,  
in Christo pie placideq; defuncti,*

in  
ILLUSTRI  
GYMNASIO AUGUSTO,  
hodie horâ IX.

*peragenda intimat*

HENRICUS JONATHAN WERENBERGIUS,  
SS. Theol. Licent. Prof. Publ.



WEISSENFELSÆ,

TYPIS JOHANN. BRÜHLII, DUCAL. ET GYMNASII TYPOGR.



**P**rosecuti sumus heri acerbissimum funus THEOLOGICI. Unicum enim hunc titulum & honoribus & officiis Beatissimi DOMINI D. OLEARII optimè convenire, nec non totum, quem in vivo eo admirati sumus, virtutum numerum indicare puto. Sustinuit eundem olim D. Johannes, Evangelista & Apostolus Domini. Epigraphè namq; Apocalypseos; sive antiquam Ecclesiam, quod plurimi volunt; (a) sive ipsum Spiritum S. quod defendit B. Waltherus, (b) autorem agnoscat, Johannem καὶ ἑξοχὴν dictum fuisse Theologum testatur. Causam afferre videtur Joh. Chrysostomus hanc: (c) quia apud cæteros [Evangelistas] oeconomiae fulgur, apud hunc verò [Johannem] Theologiae tonitrua reperiuntur. Gregorius quoque Nazianzenus, Seculo IV. hoc titulo fuit insignitus, quoniam adversus Arrianos Filii Deitatem validissimè propugnavit. (d) Utrique nomen dedit Theologia, quatenus doctrinam de Deitate Filii denotat, & Oeconomiae, i. e. doctrinæ de ejus Incarnatione opponitur. Sed longè amplior est hic titulus, quando omnibus Scriptoribus sacris in Veteri & Novo Testamento à Grecis Patribus tribuitur: virum scilicet denotans, qui Divino instinctu de rebus Divinis locutus est, & literarum monumenta reliquit. Hodie Theologi vocantur omnes illi, qui Theologiae habitu instructi sunt, aut officio quòdam sacro funguntur. Est autem Theologiae studium (e) ignorantiae in rebus spiritualibus nobis connatae, atque ἀναξίας in affectibus hærentis remedium, ad sanctitatis & pietatis culturam ὀπουνθήσεων, quotidie Deum in verbo audiendi, & cum Deo per preces colloquendi medium, adeoque sanctissimæ & beatissimæ illius societatis, quam in cælo expectamus, quoddam præludium. Officia vero Theologica sunt architectonica, (f) quibus defungens omnia ad ædificationem dirigit, juxta I. Cor. XIV. 26. Adeoque requiritur, ut non videri aut dici, sed esse velit Theologus: qui variis scientiis atque artibus instructus, (g) universam religionem tradere, & fidem simul ac vitam dirigere,

(a) B. Kromayer. Comment. in Apocal. Andr. Osiander in notis marginal. Walæus LL. CC. p. 3. Ravanell. Biblioth. S. & Suicerus Thes. Eccl. sub voce Theologus, (b) Officin. Bibl. §. 1209. (c) Homil. CVI. Tom. VI. allegante Suicero loc. cit. p. 1358. (d) vid. Suic. p. seq. (e) B. Gerhard. Method. Stud. Theol. p. 1. (f) Ipse, quem laudamus, B. Olear. Theol. Univers. p. 165. (g) Ibid. p. 19.

re, adeoque fundamentum fidei & doctrinae coelestis proponere, defendere, explicare, applicare ad mores & vitam credentis tam universam, quam respectu ordinis, sive Ecclesiastici, sive Politici, sive Oeconomici possit. *Necesse est insuper, ut adsit recta intentio, quae gloriam Dei & proximi salutem unice respiciat.* Nam, cum (h) perversa intentione aliquid agitur, etsi splendore coram hominibus cernitur, apud examen interni judicis obscuratur. Vigilanti igitur cura per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, ut nihil temporale in his, quae agit, appetat, totam se in soliditate aeternitatis figat. *Denique non tam voce, quam vitam docere debet Theologus.* Ad quod Chrysostomus (i) ita admonet: Bene vivendo & bene docendo populum instruis quomodo vivere debeat. Bene autem docendo & male vivendo Deum instruis, quomodo te debeat condemnare. Et Augustinus: (k) Aut ne doceas, aut moribus doce. Ne verbis quidem allicias, factis autem propellas. Re praestes quod oportet, & oratione non erit opus. Imò Sancti Apostoli, Petrus (l) & Jacobus (m) plurimis verbis cum omnibus Christianis, tum praecipue Doctoribus, sanctitatem vitae cum puritate doctrinae esse conjungendam inculcant. Unde patet, nomen Theologi multis quidem hodie commune esse, definitionem non item. Nam quae dixit Seneca de Philosophia: (n) Antiqua sapientia nihil aliud quam facienda ac vitanda praecipit, & tunc longè meliores erant viri. Postquam verò docti tantum prodierunt, boni esse desierunt. Simplex illa & aperta virtus in obscuram & inertem scientiam versa est, docemurque bene disputare non vivere: *ea, proh dolor! ad Theologiam jam applicare non possumus.* Quod facere voluisse credo Gisbertum Voëtium, quando affirmat, quod (o) verè de temporibus nostris dici possit: Esse nunc scientiae multum, conscientiae parum; & quod olim antiquitus jactatum: seculum esse religionum ferax, pietatis sterile. Usque adeò, *pergit*, illa ingeniorum scabies [ut loquar cum Seneca] aulas, porticus, fora, urbes, agros, domos, naves, currus, gymnasia denique omnia pervasit, ut disputare malint, quam vivere. Alii (p) nempe scientiam (Theologiae) ex insita curiositate & irrequieta, alii animi causa & delectationis appetunt, alii existimationis gratia; alii con-

(h) Gregor. Lib. XXIIIX. Moral. cap. 13. citante B. Gerhardo loc. cit. p. 12. (i) Citatus Hoornbeekio Orat. Inaugural. p. 7. (k) Lib. IV. de Doctrin. Christ. c. 27. (l) II. Petr. I. 5. seqq. (m) Jacob. III. 13. seq. (n) Epist. 95. (o) Orat. Inaugural. citatâ Domino Spizelio, Infelic. Literat. p. 992. (p) Sic applicare liceat verba Baconis de Verulamio de Augmentt. scientt. sub initium.

tentionis ergò, atq; ut in differendo superiores sint; plerique propter lucrum & victum; paucissimi, ut donum divinitus datum in usus humani generis impendant. *Noster sanè OLEARIUS, ὄλιον ἐν ἀγίοις, nequaquam fuit ex eorum numero: sed si singula & omnia Ejus spectes, propriò quasi nomine dicendus est THEOLOGUS. Quicumq; a digna Theologò à Deo accepit, & in cunctis se dignum Theologià gessit. Erat Religiosus (q) in cujus corde lex Dei requiescebat, cujus os meditabatur sapientiam sanctorum, non seculi vanitatem, cujus lingua erudita rectum judicium in omni causa tractabat, ne quid frustra quasi inventum produceret, cujus bona opera ad Dei placitum semper tendebant, cujus gressus intus & foris secundum eloquium Divinum dirigebantur in bonum. Pietatis characteres, qui sunt, describente Cypriano: (r) Humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non nosse, & factam tolerare posse, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod Pater est, timere quod Deus est, Christo nihil omninò præponere, quia nec nobis ille quicquam præposuit, charitati ejus inseparabiliter adhærere, quando de ejus nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, quâ confitemur: in quæstione fiduciam, quâ congregimur: in morte patientiam, quâ coronamur. Hos inquam characteres Divina gratia anima ejus impresserat; ille verò in officio, in scriptis & congressibus usq; expressit. Prædicamus eum propterea non solum beatum, sed & valde dolemus, quòd eò nobis jam frui non licet. Dolet Ecclesiam mortem sui Aaronis; dolet Aula sui Nathanis; dolet Illustre Gymnasium Augustum sui Elisæi. Dolet hoc inquam, & sui doloris atq; plangoris per me, hodie horâ IX. ad mandatum SERENISSIMI PRINCIPIS, signa edet publica. Quod ut eò rectius exequar, Vestrà, Patroni Magnifici, Fautores Amplissimi, nec non Augustei Cives Optimi, splendidissimâ & honorificâ præsentia opus mihi esse, de facili intelligo. Quantò igitur possum opere à Vobis officiosissimè atq; decenter contendo, ut beatè Defuncti manibus hunc cultum & pietatis quasi officium: mihi verò Oratori in audiendo summum favorem ac benevolentiam comprobare ne dedignemini. Brevis Oratio confirmabit: Nos funus THEOLOGICI heri profecutos esse. P. P. V. Kalendaras Maji A. O. R. MDC LXXXIV.*

(q) Quæ descriptio est Thomæ à Kempis Sermon. ad Novit. P. II, Serm. 3.

(r) Apud Voëtium loc. cit.

A. Ω.  
PARENTALIA  
Viri

SUMME-REVERENDI, MAGNIFICI, A  
EXCELLENTISSIMI  
DNI.

JOHANNIS  
Doctoris The

Serenissimi Ducis Saxoniae Consilia  
fessionarii, & Concionatoris au  
clesiarum Superattendentis G  
Gymnasii Augusti Alum  
Inspectoris,

*de singulis officiis totaque Christi Ec  
ante hoc obituum, cum luctu omni  
in Christo pie placideq; defun*

in  
ILLUSTR  
GYMNASIO AU

hodie horâ I  
*peragenda intimat*

HENRICUS JONATHAN W  
SS. Theol. Licent. Pro



WEISSENFELSA

TYPIS JOHANN, BRÜHLII, DUCAL, ET GYMNASII TYPOGR.

